Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36484
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

tale plaga erit castra filiorum effraim. quorum princeps fuit
elisama filius ammiud. Cunctus exercitus pugnatorum eiusdem
numerati sunt quadraginta milia quingenti. & cum eis tribus
manasse quorum princeps fuit gamaliel filius phadasur. cunc
tusque exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt, duo milia
ducenti. In tribu filiorum beniamin princeps fuit abidan filius
gedeonis. & cunctus exercitus pugnatorum eius qui recensiti sunt
xxxxv milia quingenti. Omnis qui numerati sunt in castris effraim.
centum octo milia per turmas suas tertio proficiscentur. Ad aquilonis
partem castrametati sunt filii dan quorum princeps fuit ahiezer
filius ammisadai. cunctusque exercitus pugnatorum eius qui nume
rati sunt lxii milia septingenti. Iuxta eum fixerunt tentoria de
tribu aser. quorum princeps fuit phegiel filius ocran. cunc
tus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt quadraginta
milia & mille quingenti. De tribu filiorum neptalim prin
ceps fuit ahira filius enan. cunctus exercitus pugnatorum
eius quinquaginta tria milia quadringenti. Omnis exercitus
pugnatorum eius qui numerati sunt in castris dan. fuerunt cen
tum quinquaginta vii milia sexcenti. & nouissimi proficis
centur. Hic numerus filiorum israel per domos cognationum
suarum & turmas diuisi exercitus sexcenta tria milia
quingenti quinquaginta. Leuite autem non sunt numerati
inter filios israel. sicut preceperat dominus moysi. fecerunt que filii
israel iuxta omnia que mandauerat dominus. castrametati sunt
per turmas suas. & profecti per familias ac domus patrum suorum.
Hec sunt generationes aaron & moysi in die qua locutus est dominus
ad moysen in monte synai. & hec nomina filiorum aaron
Primogenitus eius nadab. deinde abiu. et eleazar. et itha
mar. hec nomina filiorum aaron sacerdotum quinque sunt. &
quorum replete & consecrate sunt manus ut sacerdotio funge
rentur. mortuus est nadab & abiu. cum offerrent ignem alienum